

um, elatio, exaltatio, dicitur pro ἀνώγει, hoc autem est ab ἀνώγει
rollo, elevo, eveho, sumpta à potioribus de nominatione. Obiter
tanquam in transcurso meminisse juvat controversiæ quam movent
quidam: *Vtrum scil: Meteororum ratio consistat in cor-
poreitate (ut loquuntur) & per consequens in Substantia,
an vero in accidente, ita ut sint meræ affectiones cor-
porum:* quorum hoc placet Dn. Sperl. lib 5. inst. phys. c. 6. q 1. il-
lud arridet Peripateticorum aliquibus verum nos potius illi quam
his assentimur.

Differentia duplex est: Generica quam constituit τὸ
EMPHATICVM, non enim reale est: ut nubes, ignis lambens &c.
sed apparens meraq; ἐμφασις: & *Specifica* quæ sumitur à causis
internis Materia videl: & Forma; & unica externa Efficiente nempe,
de quib. Seq: Sect.

SECTIO SECUNDA DE PRINCIPIIS ET CAUSIS IRIDIS.

Causæ rerum quatuor sunt, duæ internæ, *Materia* nimi-
rum & *Forma* & duæ Externæ: *Efficiens* & *Finis* dictæ. Ex
his quamvis accidenti qua accidens nulla sit Materia propriè sic di-
cta, est tamen aut analogica ad minimum, aut quorundam illa quæ
vocatur. *In Qua*, quæ rectius subjectum dici meretur, aut tan-
dem propriè sic dicta, non tamen accidenti qua tale sed in particula-
ri, quod patet ex triangulo, in quo dantur tres lineæ ex quibus illud
est: patet etiam ex accidentibus quæ concreta sunt, ubi denomi-
natum vel subjectū fungitur simul officio Materiæ propriæ acceptæ.
Et quia Iris hujus generis accidens est competet illi Materia propriè
sic dicta quæ est *Vapor roscidus*, h. e. non continuus seu cœ-
ptus jam densari in nubium consistentiam, sed is qui modo in parvas
guttulas liquatur, quemadmodum erudite demonstratur prop. 66.
lib. 10. Vitel:

Formam, alteram causam internam, quæ dat huic Meteoro
Esse, constituunt colores illi quatuor, qui vulgò conspiciuntur, vi-
del: